Quaestio Medica Cardinalit. Disput. agitata In Scho. Medicorum, Die Jovis 16a Junii, D. Michaële Marescotio Doctore Medico Praeside.

An Periodorum In Morbis ratio cognita?

Corporis nostri natura, In calido et humido posita, omnibus mutationibus obnoxia, sensim sine sensu siccior et tandem frigidior facta dissolvitur. Atque ut vitae statum, decursum, et certas vicissitudines, a constanti motu coelorum (qui proprio et nunquam malo Influxu, In haec Inferiora propter similitudinem agunt) et ab Analogia rerum quibus constat et conservatur, perpetuo consequitur: Ita mutationes suas, errores, confusiones, omnibus denique deformitatibus, à qualitatum contrarietate et materiae conditione quotidie sortitur. Unde licet In tanta quoque mutationum diversa summa serie observare. Unum quidem nunquam recurrit, quod partibus tantum solidis Insidet, et aetatum quatuor, quas prorogare Medicus potest, progressu ipsaque universa natura, à priori statu semper deficiente, describitur. Nam et nos Imbecilliores facti, novorumque morborum, nova postulantes remedia, respuimus, certe [illegible] cathartica, robustis obvia, et veteribus [illegible], tithymalum, thymelaeam ferre non possumus. Alterum vero quod alternatione quadam periodica, pro conditione continentium, humorum, et ambientis, continuo repetit. Quandoquidem humorum substantia, ut per anni tempora, sic vires per diei quartas potissimum crescunt aut minuuntur.

Itaque mirum esse non debet, si iisdem propriis temporibus et mutationes et excretiones, et morbi contingant, aequalique periodo nonnunquam redeant. Sanguis enim fit semper major veris principio, et In propria quarta, quae est ab hora nona noctis ad tertiam diei. Bilis aestate, Juventa, Atque à tertia diei ad nonam eiusdem. Succus melancholicus Autumno, virili aetate, et a nona diei ad tertiam noctis. Pituita denique hyeme, senectute, et a tertia noctis ad nonam eiusdem. Excretiones quoque proprio circuitu ut plurimum feruntur: secundum facultatum (quae ut animi mores, corporis temperamenta sequuntur) Instrumentorum et alimentorum analogiam. Nam sive ante annum decimum quartum, quod vitae brevioris est Indicium, aut multo post, mulierum profluvia (quae nulla venenata qualitate praedita, etiam viris gravibus, sine noxa foetus, fluunt) Incipiant: sive ante quatuor septimanas, aut aliquanto post secundum naturam erumpant: tamen quae servant absolutum typum, diu certo aequali conservabunt.

Omnes morbi ab humore, paucis exceptis, habent typos: qui toties recurrunt, quoties ad partium mittentium, aut suscipientium, aut gravantium, [illegible] causarum dispositionem (quae a senio et sanguinis materia nunquam, à consuetudine difficulter, ab [illegible] facilius tollitur) antecedentium et residentium causarum concursus satis potius, et nova aliqua, proximae accersitur. At quidam recessioni determinatae non sunt addicti, quod et partes, et vires non semper aequalibus materiae respondeant: ut In cephalalgia, epilepsia, articulorum doloribus, et similibus [illegible] satis apparet. Porro quod paroxismi longius a se distent, aut proxime se consequantur, efficiunt facultatum, quae In membris sunt, robur, aut Imbecillitas, dolor et calor, [illegible] aut pauci attrahentes, corporis habitus rarus aut densus. Item susceptibilitatum species diversae, multitudo aut paucitas, tenuitas aut crassities, etiam dispar acrimonia, tum denique ambientis necessitas. Atque haec Ipsa accessiones longas aut breves, anticipantes aut retardantes faciunt. Quare reditus novos morbos non gravat. Neque febres ferme breves retardationes, aut longas anticipationes augent.

Febres autem Intermittentes, accessioni non tam aestimandae, quam propria specie et Ingressu, maxime vero statas ordinatasque periodos, et multiplicationes viginti quatuor horarum admittunt. Has tamen saepe mutant, quod In boreis [illegible]. Humores enim calidi humidi, In ipsarum generatione putrescunt In vasis, venisque In habitu corporis vero consistere dicuntur. Nec vero putris materia, quae calidior rigorem vehementiorem facit, sed summus tantum per corpus [illegible] et spanditur. Succi etiam putrescentes In quartis, quas sibi affines et proprias offendunt, efficaciores redduntur, adeo ut nonnunquam Insolentiores facti naturam ad sui excretionem promptius stimulent. Putredo autem, ut calor febrilis, In aliis quadrare aut omnino abolebitur, sicque febris terminatur, aut [illegible] et fit continua, aut ad apyrexiam usque debilitatur, et Intermittens permanet. Digressioni vero addicta, propter vestigium sive empyreuma, quod In febris foco* aut [illegible] [illegible], unde sive purioribus* factis, facilius vel difficilius febres distinguuntur et exacerbantur: Idque [illegible] aut [illegible], pro varia humorum conditione, Inspicit, constituta periodo, quod partes corporis et susceptibilitatum varia dispositione, quarta, In quibus efferuntur, certum et determinatum ordinem obtinerent.

* aut Impurioribus

Quare à sanguine putri, qui propter venas non vehitur In bilem, excitatur non ardens, sed acuta febris: eaque continua, quia copia, corruptionis facilitate, vitae necessitate, reliquos humores, etiam In proprio domicilio perpetuo superant, continentes cor affligit. In pituita, ut semicocto sanguine, Insunt illa [illegible]: proinde eius calor fumosus, ut vapor biliosum quadrantem non substentatur, paroxysmum octodecim horarum profert, et apyrexiam omnium Impurissimam relinquit: quo nomine postridie, domini sui tempus nacta, facillime Irritatur. In bile quae pauca, et natura sua non ita celeriter putredinem admittit, calor est flammeus, In quarta pituitosa deficiens; ob idque accessionem duodecim horarum non excedentem, atque Intermissiones puriores relinquit. Quam ob rem die sequenti, et si vires aliquas colligerit, non tamen satis potest ad suam naturam [illegible] redditur. Quare ab aliena quadrante Interceptus se recipit, donec tertio, à naturali quarta provocatus, pugnam redintegret. Quartana à succo melancholico tantundem [illegible] atque tertiana [illegible] non tamen ante septuaginta duas horas denuo exacerbatur: quia calor In materia, ut omnium paucissima, Ita putredini toto genere adversante, velut in [illegible] cineris sopitus, non Ita facile revocatur: unde etiam quarto die nonnunquam Invalidus In sequentes deducitur, quintanas, sextanas et alias. Quibuscumque autem nasci contigit eo die, In quo nascentis natura anni parte, et diei quarta alicui humori consentiunt, Illi singulis annis, die natalitio febre corripiuntur.

Ergo periodorum In morbis ratio cognita.

Ponebat franciscus Choisnyn Castriheraldus. M. D. LXXV.

BIBLIOTHEQUE